



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Motiva fugiendi Adulationem. Varia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

mans voce magnâ dixit : quid mihi, & tibi, JESU Fili DEI altissimi? Ut adulator, non ut devotus, & obsequens, hic adoraret : evadere cupiens pœnam; prædam perdere pertimescens. S. Chrysologus Serm. 19.

Dedit alapam JESU. Joan. 18. 22. Ecce iste fortis, percussor, & mollis adulator; tortum illorum robustissimum se ostentavit; de quibus Domini Christi Spiritus per Prophetam in persona ipsius conquerens : quia ecce ceperunt animam meam, & irruerunt in me fortes. Psalm. 58. S. Rupertus hic. lib. 13.

§. III.

Adulationem fugiendi motiva.

ILLis absentibus capit JESUS dicere *ad turbas de Joanne. Matth. 11. 4. Cur absentibus discipulis laudat Joannem? Nè multitudo putaret, assentatiunculis gratiam Joannis Christum colligere. S. Chrysostomus, Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 1. sect. 2. Obs. 1.*

Quid existis videre? arundinem ventò agitatam? Matth. 11. 7. Non est arundo Joannes; columna est; non movetur ventò, non quatitur timore, non flectitur adulatione: unò, eodemque, vultu respicit & illos, qui eum laudant, & eos, qui eum vituperant. Sic inimicos, ut amicos, diligit; sic potentes, ut impotentes, arguit. Eusebius Emisenus Dom. 3. Advent. Nihil equidem vobis adulatorium me scripsisse recole; nec lum olei venditor. Et scio, quia sal correctionis Levit. 2. 13. in omni Sacrificio acceptatur à Domino; mel in omni Sacrificio reprobatur. Petrus Blelenfis ep. 1. ad Henric. 2. Angl. reg.

Magister, volumus à te signum videre. Matth. 12. 38. at ille: generatio mala, & adultera, signum quærunt. v. 39. S. Chrysost. cum illi asperè, ac contumeliosè, interrogant; mansuetè, ac leniter respondet: dum verò assentantur, non mediocriter utitur acrimoniâ; omni se perturbatione superiore ostendens. Apud Escobar ibid.

Stupebant super doctrinam ejus. Marci 1. 22. Quid stupent? Nonne ex Hebræa Schola multi probatæ sapientiæ, & eloquentiæ? unum pro cunctis Gamalielem nomino; de quo Act. 5. 34. Cur non stupent Gamaliele scienter differente; sed Christo vel

modicè docente? addit Marcus: erat enim docens tanquam potestatem habens. Quod Victor Antiochenus ita explanat: non loquebatur ad gratiam; nec auditorum laudes captabat: sciebat, eum adulatoribus durum esse; quibus blandè alloquentibus: Magister, scimus, &c. Matth. 22. 16. ille durè respondet: quid me tentatis hypocrita? v. 19. Sciebant, dæmonem malè adulantem, cum proclamaret Marci 1. 24. JESU Nazarene! à Christo rejectum, silentiò imperatò: obmutesce. Inde stupebant super doctrinam ejus. Velloso in Judith. 2.

Varia.

O nostri Sæculi perditionem! ô Mundi pessimam corruptelam! ô Mundum mendacis, & adulationibus, plenissimum! Non est veritas in Mundo; non est, qui loquatur verum cum proximo suo. Quidquid hodiè vulgus loquitur; fraus, & adulatio, est: docuerunt enim linguas suas loqui mendacium. In hac Schola exercitati sunt, in hac edocti; ut discerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parva, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culcibus elephantes. Hæc civilitas, hæc affabilitas: & inurbanus est, quisquis fallere, & mentiri non novit. Si quis verax, si quis fidelis, & probus; rusticus, & stupidus, reputatur. S. Thomas Villanov. tr. de adv. Dom.

Cum in omni cœtu hominum, tum in Religione Christiana, assentatione nihil est perniciosius; eorum præsertim, qui commoendi, & obiurgandi, cœteros officium susceperunt. &c. Philo Carpathius in Cant. 5.

Teterrima pestis urbibus, assentatorum vita; tabificus morbus eorum consuetudo adolescentibus; domibus ruina, monasteriis everfio, Christianæ Religionis extrema calamitas; omniumque malorum seminarium, & ruina. Nolite, quæso, blandiri Prædicatores verbi; nolite placere auribus. Idem ibidem.

Sunt quatuor causæ idololatriæ II. adulatio: quæ regibus, & dominis, divinum cultum præstiterunt. S. Thom. Aqu. opusc. 3. cap. 2.

Adulator est dæmonum minister, superbiæ dux, bonorum demolitor, erroneus ductor. Qui enim beatos nos dicunt, inquit ille Isa. 3. 12. nos seducunt. Joannes Climacus gradu. 21.

TITULUS III.

ADULTERIUM.

§. I.

Adulterorum pœnæ divina.

Flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis. Gen. 12. 17. Adfuit Saræ Deus & Pharaonem acerbè flagellavit;

nè sanctum conjugium vel inscius violaret. Nesciebat Pharaon, Saram esse uxorem Abræ; & tamen ob eam cum tota domo plectitur. Stengelius t. 2. divin. Judic. c. 27.

Vidit mulierem se lavantem &c. 2. Reg. 11. 4. In domo Davidis quamdiu timor